

differentia strictius sic dicta nos lateat, plura col-
 lecta sunt accidentia, per quæ coelum ab omni-
 bus aliis distingueretur. Dubitare autem hic ite-
 rum quispiam posset, quo sensu coelum dicatur
 corpus simplex. Contradictionem enim videtur
 implicare, aliquid esse corpus, & esse simul sim-
 plex, cum omne corpus ex materia & forma sit
 compositum, adeoque non simplex. Huic igitur
 difficultati, ut occurratur, notandum est ex
 B. Stahlio in Tabellis Metap. Tab. XVI. quod sim-
 plex aliquid dicatur, vel (a) respectu certi generis
 compositionis; vel (b.) respectu certi generis
 rerum. Simplex respectu certi generis com-
 positionis h. l. est illud, quod non est compositum
 ex materia & forma, e. g. Angelus, anima ratio-
 nalis &c. Hæc significatio vocis simplex non est
 hujus loci. Nullum enim corpus, adeoque nec
 coelum hoc sensu simplex dici potest, quia quod-
 libet corpus ex materia & forma, tanquam prin-
 cipiis suis constitutivis intrinsicis constat. Dici-
 tur proinde coelum corpus simplex in altero si-
 gnificatu, nempe respectu certi generis rerum,
 quia ex aliis sui generis corporibus non est com-
 positum, licet aliàs ex materia & forma sit con-
 flatum: Perinde ut aliàs in Logicis enunciatio so-
 let dici simplex, non eo sensu, quasi non constet
 ex subjecto & prædicato, ita enim nulla enuncia-
 tio

tio